

In diébus illis:

- ¹⁷ **Æ**grotávit filius mulieris matris famíliæ;
et erat languor fortis nimis,
ita ut non remanéret in eo hálitus.
- ¹⁸ Dixit ergo ad Elíam:
«Quid mihi et tibi, vir Dei?
Ingréssus es ad me,
ut rememoraréntur iniquitátes meæ,
et interfíceres fílium meum?».
- ¹⁹ Et ait ad eam:
«Da mihi fílium tuum».
Tulítque eum de sinu illíus
et portávit in cenáculum, ubi ipse manébat,
et pósuit super léctulum suum;
- ²⁰ clamavítque ad Dóminum et dixit:
«Dómine Deus meus,
etiámne víduam, apud quam ego ut hospes hábito,
afflixísti, ut interfíceres fílium eius?».
- ²¹ Et expándit se
atque mensus est super púerum tribus vícibus
et clamávit ad Dóminum et ait:
«Dómine Deus meus,
revertátur, oro, ánima púeri huius in víscera eius».
- ²² Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ,
et revérsa est ánima púeri intra eum,
et revíxit.
- ²³ Tulítque Elías púerum
et depósuit eum de cenáculo in inferiórem domum
et trádedit matri suæ et ait illi:
«En vivit fílius tuus».

²⁴ Dixitque mulier ad Eliam:
«Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu,
et verbum Domini in ore tuo verum est».

Verbum Domini.